

**A** maximèq; est profunda vorago, supini detinentur. Atque hoc est illud profanum, quod vetus illa pietas tantopere auersabatur. Gentes tamen aliquas inuenies ( vt alienigenarum quoq; instituta conquiramus ) quibus pisces sacrificare mos fuerit, veluti Bœotij faciebant, qui selectiores quasdam anguillas ex eo genere quæ Capaides appellantur, præcipuæ commendationis in Eubœa, dis immolare consueant. Passim verò piscatores Neptuno Thunnum, qui maximus esset, sacrificabant spe capturæ. Et Phaselitæ Lyciæ populi salsamenta Cylabræ cuidam heroi offerebant, eius condituræ pisces ita puros arbitrati, vt deos etiã alios pisciculus huiusmodi sale conditis placari opinarentur. Sunt verò qui apud eos id ea de causa institutum scribant, quia regio illa ab origine prima salsamentis ex pisce factis empta fuerit.

## PURIFICATIO.

**Q**uod verò Aegyptij mare profanum arbitrabantur, alij longè secus existimarunt. Nam M. Tullius vbi rationes de parricidæ pœna commemorat, oratione pro Sex. Roscio Amerino, ea potissimum de causa insui reos culeo dicit, ne cum in flumen abiecti delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Ad hæc Proclus tradit, sulfur & maris aquã ad purificationem adhiberi. Et Euripides Platonē secutus in Aegyptum, cum morbo quodam implicitus, sacerdotũ suasu mari se expiasset, incolumitati reditus est: eaq; de causa versum hunc ille istius rei memor suis poëmatibus inferuit, ἡ δὲ λαοὶ κλισίῃ παύσατο τ' ἀνθρώποις κχαχῆ. Aristophanes quoq; tale aliquid attingit, cum dixit: πρῶτοις μὲν ἀβοίῃσ' ὕψι ἡ δὲ λαοὶσ' ἡγομῆ, ἐπειτ' ἐλθῆμεν. Neq; ritum ignorauit huiusmodi Catullus, vbi ita canit:

*Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?*

*Suscipit o Gelli quantum non vltima Thetis,*

*Nec genitur Nympharum abluat Oceanus.*

**C** Neq; temerè Clemens inducit Petrum, antequam cibum fumeret Tripoli lauis se in mari, alibiq; libenter eum in eodem lauare. Et apud Homerũ Telemachus Palladi supplicaturus, in æquore manus lauit: quæ quidem purificatio omnium gentium consensu de mari sumpta, baptismum ab omnibus præuisum nationibus indicat, quæ sola vera est purificatio. Diuinæ enim literæ per mare vnitatis numero baptismum intelligũt, vt Theologi docuerunt. Nam & Michæas propheta mare baptismum appellasse visus, cum dixit: Tu peccata nostra in profundum mare demerges. Mare verò lauacrum huiusmodi ea de causa nuncupatur, vt sentit Euthymius, quod animarum sordes, quæ illic eluuntur, recipit, & quia purgat: omnia autè quantumlibet lutulenta flumina inuehitur in mare, lateq; ab eo admittuntur, sed tamen nihil intra se continet sordidi, fæcesq; omnes ad littora, sed eas perpurgatas, continua reijcit alluione.

## DAMNUM ET UTILITAS.

**A** iunt verò qui sacerdotum Aegyptiorum cõmentis curiosius sectantur, Tritonem ideo biforem pingi solitum, superiori quidem parte hominem, inferiori verò piscem, vt ex humore nos & utilitatem & damnum consequi moneamur, cum illi ex humana natura bonũ atq; proficuũ, ex pisce non nisi perniciem interpretarẽtur. Sedenim de Tritone alibi. Quamvis autem apud Aegyptios perniciem piscis significaret, in ostentis tamen boni omnis habitus est, nonnunquam: vt qui Augusto pridie quàm Siciliensem pugnam classe committeret, in littore deambulanti exiijt è mari, & ad pedes procubuit, quasi nuncius